

Landesbibliothek Oldenburg


Digitalisierung von Drucken

Inferior Germania

Bertius, Petrus

[Amsterdam], [1602?]

[urn:nbn:de:gbv:45:1-296343](#)



imperium in decem ditiones distributum est : eos aliter circulos vocant, *Creytzen*. Hi sunt Circuli Franconiae, Bauariae, Austriae, Sueviae, Electorum Rheni, Germaniae inferioris sive Westphaliae, Saxoniae superioris, Saxoniae inferioris, & Burgundiæ.

DESCRIPTIO PROVINCIARVM XVII. GERMANIAE INFERIORIS.

GERMANIA INFERIOR quænam propriè antiquis dicatur, Belgica item propriè quænam, alibi ostensum est. Hodiè Belgicam & Germaniam inferiorem, sive *Nederland*, indistinctè pro eodem usurpant, confusis Germaniae Galliæque limitibus. Fines sunt ab Aquilone Oceanus, ab Austro Lotharingi, Vermandui, Picardi: ab ortu Amisi, Westphalia, cum parte Rheni superiore. Vicinos autem habet hos Principes, Comitem Frisiae Orientalis, Episcopum Monasteriensem, Archiepiscopum Colonensem, Regem Galliæ. Continet autem tabula nostra Geographica prouincias septendecim quas Carolus quintus Imperator omnes possedit, ac præterea Episcopatum Leodiensem, Ducatum Iuliensem, cum Clivensi: quæ Belgiae propriè dictæ, & Germaniae inferioris vix dimidia pars est. Sunt autem in Provincijs hisce Ducatus quatuor, Brabantia, Limburgi, Lutzenburgi, & Geldria. Comitatus septem, Flandria, Artesia, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Namurci & Zutphania. Marchionatus *sacri Imperij*, Dominia quinque, Frisia occidentalis, Mechlinia, Ultraiecti, Transfúlania, & Gruninga, regiones cultissimæ, vt in quibus (teste Ludouico Guicciardino) numerentur vrbes fossis & vallo munitæ cc. viii. Pagi autem sex mille, trecenti atque amplius, præter arcæ,

R s mona-

ALBERT 233

Kasten 242

